

dubiae esse videantur, melior, opinor, est haec ratio quam lectio-  
nes barbaras et manifesto falsas intactas relinquere, offendicula  
lectoris futuras eumque a recta linguae Graecae scientia diversuras.  
Corruptelam detegere et indicare non raro dimidium remedii est,  
et conjecturas quamvis dubias aut falsas proponere aliquando  
viam ad veram lectionem ostendit. Exegesin sive explicationem  
et similium locorum collatione illustrationem neglexi, quum jam  
alibi eas copiose tractaverim. Non paucae virorum doctorum  
conjecturae temere et inconsulto in textum receptae, aliae imme-  
rito neglectae sunt. Codicum lectiones virorumque doctorum con-  
jecturas manifesto falsas plerumque neglexi. Interpunctionem  
rectam, quae tantum auxilium ad facilem auctoris lectionem et  
intelligentiam confert, sed quae nimis saepe negligi solet, sedulo  
curavi, punctis multo paucioribus quam solet fieri notatis. In  
annotatione brevitati quantum potui consului.

Si forte alicubi ingravescente senectute (octogesimum enim  
quintum aetatis annum ago) nonnulla errata fecerim, facile me  
a lectore benevolo excusationem et veniam impetraturum esse  
confidenter spero.

Nihil amplius habeo quod addam nisi Horatianum illud, ‘Si  
quid novisti rectius istis, | Candidus imperti; si non, his utere  
mecum.’

Scribebam Brightoniae, Januarii die 31. 1904.